



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Modus Recte Se Disponendi Ad Felicem Mortem

Poiré, François

Coloniae, 1651

Dispositio I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55160)



DE DISPOSITIONIBVS

*ad bene moriendum, quæ sanis & va-
lentibus adhuc inseruiunt, ante-
quam sentiant sibi mortem
imminere.*

DISPOSITIO I.

PRIMA & magis generalis est, bona vi-
ta. Experientia, ratio, & ordo diuinæ
prouidentia huius veritatis sunt testes.
Experientia quidem, quæ locum trito
illi verbo fecit. Qualis vita, talis mors,
plus quàm quotidianis exemplis nos e-
rudat: vnde fit, vt, si secus eueniat, propè
pro miraculo habeatur. Ratio verò nos
docet, motum continuatum eiusdem
naturæ in initio & fine esse: & contex-
tum nostrarum actionum, etsi à libera
voluntate proficiantur, talem esse, vt
plerumque sui quâdam similitudine æ-
qualem telam conficiant. Et vt Cygnus
morigerus Cygni, & coruus corui more
canit; ita & seu probæ seu culpata vitæ
assuetus, parem exitum sortietur. Ordo

denique diuinæ prouidentiaë exigit, vt & Dei bonitas fidelitasque eum in tam tristi abitu non destituar, qui suam voluntatem semper diuinæ subiecit; & rigor iustitiæ in eum ad extremũ defæuiat, qui eius iugum excussit. Peccator, inquit sanctus Augustinus, hac deniq: poenâ multatur, vt cum in vitâ, Dei sit oblitus, in morte obliuiscatur & sui.

Cum autem de vita bona loquor, nolim eo rigore dicere, vt ea non possit etiam in illos cadere, qui nonnunquam Deum etiam grauius offendunt; vt tamen illud nomen merearis. quatuor conditionibus eam esse instructam, necesse est; altioribus interim animis perfectiora sectantibus. Prima est, Cor Dei Timore imbutum, cui certum sit, rem nullam designare, quæ possit Dei gratiâ priuare. Secunda, Fixum animi decretum, momento se erigendi, si acciderit ex humana imbecillitate, te alicubi tentationi succumbere. Tertia, Conscientia à certis quibusdam radicatis vitijs purgata quæ vehementer animum impediunt, quæque molestam post se catenam trahunt; vt sunt inimicitia, detractio, alieni boni re-

tentio. artes inconcessæ in obeundis negotijs parua cura dissoluendi & alienum & alia quæ nobis incumbunt, onera expediendi, familiaritates periculosa, abusus sacramentorum & quæ sunt aliæ huiusmodi prauæ assuetudines, quæ menti Deum eripiunt, magnasque tenebras & periculo plenam obstinationem inducunt. Quarta est, fuga otij, quæ, utpote mater omnium scelerum, hominem vnde quaque reddit inutilem, & incertum, adeo affectum ad exercitium bonorum operum exturbat, quæ sola, ut sanctus Petrus ait, a certam faciunt salutem. & Vocationem nostram.

a 2. Petri 1. b. 10.

DISPOSITIO II.

Secunda est, (& ex priori consequitur) bonas consuetudines superinducere. Modica illa experientia, quâ sum eruditus, in eam me cogitationem adegit, ut credam, nostrum plerosque eo mentis habitu ac assuetudine mori, cui in viuis assueuimus. Qui antè toelentiam non addidit, tunc cum æger decumbit, querelis omnia complebit, habebitq; quod in quouis ob-